IOSEPHI GABALEONIS
COMITIS SARMATORII
AD
LEGEM IVLIAM
DE
AMBITV
COMMENTATIO.

EDITIO SECVNDA.

LIPSIAE
LITTERIS IO. CHRIST. LANGENHEMII.
MDCCXXXXIIII.

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO

PRINCIPI

FRIDERICO CHRISTIANO

PRINCIPI REGIO

POLONIARVM

ET

SAXONICI ELECTORATVS

HEREDI

DOMINO OPTIMO

CLEMENTISSIMOQVE

IOSEPHVS GABALEO.

Digitized by Google

Digitized by Google



SERENISSIME PRINCEPS
R E G I E
DOMINE CLEMENTISSIME

VT maxima mea felicitas eſt, quod a prima aetate Regiae Celſitudini Tuae addictus obſe-

quio

Google

quio fui, ita confidentius nunc diſcedens ex hisce Muſarum caſtris litterarium ſpecimen ſub Sereniſſimi Nominis Tui auſpiciis edere ſuſtinui. Incomparabilem Regiae Celſitudinis Tuae erga liberales diſciplinas omnes, bonasque artes fauorem, non Saxonia modo Poloniaque inter tot alias regales animi dotes ſuſpicit, ſed late iam per exteras etiam gentes

fama

Digitized by Google

fama celebrat. Mihi vero reddenda etiam erat quodammodo ratio ſtudiorum, quae clementiſſimo nutu fouere ipſe dignatus es. Neque argumentum ex Romano iure et politia depromtum diſpliciturum ſperabam, vtpote qui, quam cara Tibi ſint Romanae antiquitatis monumenta, cum ſaepe alias, tum in laudatiſſima illa peregrinatione Tua Italica, cum admiratione viderim.

Digitized by Google

viderim. Deus Optimus Maximus ſub feliciſſimo Sacrae Regiae Maieſtatis regno Regiam Celſitudinem Tuam laetiſſimis rerum ſucceſſibus frui iubeat.

Lipſiae X. Kal. Februar.

A. M DCC XLIII.

Digitized by Google

AD

LEGEM IVLIAM
DE AMBITV
COMMENTATIO.

Nulla vnquam reſpublica tam apte fuit ordinata, tamque praeclaris temperata legibus et inſtitutis, quin in eadem ali ſucceſſu temporis atque gliſcere in dies coeperint vitia. Nec eſt ſine cauſſa, vt ea demum publicae rei forma ac adminiſtratio ſi non optima, certe reliquis anteponenda cenſeatur, quae omnium diutiſſime ſtetit incorrupta. Conditor enim ciuitatis quid praeſtare aliud poteſt, quam vt ad continendam rempublicam accommodatos mores legesque ponendo palam faciat ciuitatis perpetuitatem ſibi vnice curae fuiſſe? *Serit arbores, quae alteri ſaeculo proſint;* quae verba ex Statio, veteri auctore, cuius opera interierunt, repetit CICERO[1]: ſed quis ſpondere auſit easdem aetatem eſſe laturas? Adeo anguſtis quippe pru-

1) Tuſculan. Diſput. L. I. c. 14.

Digitized by Google

dentia humana terminatur limitibus, vt nemini mortalium quantumuis ſapientiſſimo certam futurorum praeſcientiam aſſequi contingat: tantum abeſt, vt fundator Imperii mala olim rempublicam diſturbatura multo ante proſpicere valeat, nedum conprimere et extirpare. Quid dicam de caſuum fortuitorum concurſu? An non ii plurimum ſibi vindicant in Imperiorum vel ſecundis rebus, vel aduerſis?

Praeterea vti humana corpora, ſic reſpublicas noui ſubinde infeſtant morbi, erumpente diuerſis temporibus noua corruptionum materie. Veriſſime de republica Romana iudicat Livius [a], *quanto rerum minus, tanto minus* in illa *cupiditatis fuiſſe:* addi poteſt, in omni Imperio, quanto minus opum, tanto minus vitiorum eſſe ſolere. Modicis enim rebus facile habetur aequalitas, raraeque ſunt inter ciues paucis contentos, labori et temperantiae adſuetos, dominationum prauarumque libidinum illecebrae. Sed vbi locupletata e deuictorum hoſtium ſpoliis ciuitate, promotisque in immenſum Imperii finibus, diuitiae creuere et magnitudo, confeſtim cum fortuna mutantur mores, ignotisque antea deſideriis agitati ciues nullam non viam tentant, qua ſe extollere poſſint. Quemadmo-

a) In Prooemio.

Digitized by Google

admodum vero humore eriguntur teneri languentesque caules, ita latentem in mortalium animis ambitionem inflant, eliciuntque diuitiae. Quare peruetus fuit opinio, eaque in grauiſſimorum hominum, quos Graecia Latiumque tulit, ſcriptis ſaepe inculcata [3], nulla vitia aeque multum ad perturbandam rempublicam virium habere ac auaritiam, et ambitionem. Quibus tamen potiſſimum illae laborare videntur ciuitates, in quibus ſumma Imperii penes multitudinem eſt. Nam plebs conuerſionum amans, amplificandisque peculiis intenta, a liberaliori ciue ſe trahi facile patitur, et libenter illi petitos honores confert, qui blanditiis ac largitionibus reliquos vicerit [4]. Qua licentia graſſante, quis non videt grauiſſima incommoda importari? Exemplo eſſe poterunt in Graecis ciuitatibus Athenae, in quibus quamdiu virtuti honos erat, ſub Ariſtide, Pericle, Cimone, aequiſſimae florebant leges. At quem fugit paucorum impotenti ambitione libertatem, atque cum libertate Imperii maieſtatem viresque fractas et ſublatas eſſe? Romanos quoque num ſua augendi libido, honorumque et magiſtratuum fames peſſum dedit! Si enim Syllae ac Marii, Caeſaris ac Pompeii ſpectes cer-

A 2 tamina,

3) Collegerunt loca BARTHIVS ad Claudian. de laud. Stilicon. L. II. v. 112. p. 242. MVRETVS variis lection. L. XVII. c. 3. et interpretes ad SALLVSTII Catilin. c. 10. 4) POLYB. Hiſtoriar. L. VI, c. 55.

Digitized by Google

tamina, quot ea praebent immodici ambitus, exitioſae liberalitatis, funeſtaeque aſſentationis documenta!

Quare tam perdita Roma
Ipſa ſui merces erat, et ſine vindice praeda [5].

Quum igitur ii fere ſint, quos expoſui, malorum in republica fontes: ſi, vt paullo ante monui, ſub ipſa Imperii primordia conſtaret, quae ſors, duratio, opulentia ac magnitudo rei publicae, quae ſtudia ciuium, qui mores, quae bella futura eſſent, proſpici quidem poſſet ſingulis rerum venturarum momentis: nunc vero illa omnia a primo mirabiliter latent, procedente autem tempore pateſiunt. Itaque primae illae leges ac inſtituta vagae ſunt regulae, quibus vniuerſe, quomodo ſalus ciuitatis promoueri, et incommoda auerti poſſint, praecipitur. Quum autem diuerſa inciderint euenta, quumque noua vitiorum ſeges pullulare coeperit, tum ſingula peculiaribus rogationibus accuratius ordinantur. Cuius rei, niſi me ſuſcepti argumenti nimium cepit amoenitas, egregium habebimus ſpecimen, ſi Romanorum circa reprimendum ciuium ambitum inſtituta ordine exponantur. Tam crebrae enim, tamque graues ex ambitioſorum hominum ſtudiis ortae ſunt turbae, vt, qui ambitus hiſtoriam conquirunt, fata

5) PETRON. Satyric. c. 119.

fata totius reipublicae Romanae, maximarumque conuerſionum origines a ſtirpe cognoſcant. Id ipſe expertus ſum, cum Legem Iuliam ab Auguſto Imperatore aduerſus ambitum latam, illuſtrandam ſuſcepiſſem. Quanquam enim praecipuum ſtudium poni debebat, in eius argumento et capitibus eruendis, ante tamen delibanda erant omnia, quae de variis ambiendi apud Romanos modis, deque remediis, quibus ante Auguſtum coercere ambitum viſum fuit, in veterum Scriptorum Legumque monumentis occurrunt. Commendabant praeterea hanc diſquiſitionem non inclitum modo Legiſlatoris nomen, cui ſummae curae fuit ſtatum Romanum firmare Legibus, ornare moribus, ſed Legis etiam ipſius vtilitas, quippe quae a Iuris antiqui architectis aliquoties excitatur, ac inter Leges contra ambitum promulgatas poſtrema fuit, quod vna omnium anteriorum vim complecteretur. Neque abhorrebat hic conatus cum ab aetate mea, et a ſtudiis, quibus adhuc incubui, tum a vitae, cui deſtinatus ſum, conditione; videbaturque non iucunditatis modo, ſed etiam officii pars eſſe, vt diſcedens ex hac celebri Muſarum ſede, quos doctrinarum adhuc hauſtarum tulerim fructus, publico quodam pignore teſtarer, et hanc veluti grati animi teſſeram ponerem.

Digitized by Google

CAPVT I.

De ambitus apud Romanos ortu et cauſſis.

I. Plebi magiſtratuum creationem dedit Romulus, inde neceſſitas plebi adulandi ſub Regibus.

SI e Romuli conſilio, quo in ordinanda ciuitate a ſe condita vſus eſt, enixi ſtudii, aſſiduitatis, ac contentionum, quibus honorum candidatis Romae defungi mos fuit, originem ac neceſſitatem natam eſſe affirmem, ſique ſtatum reipublicae Romanae popoſciſſe ſtatuam, vt tantis laboribus via ad honores quaereretur, penes rerum Romanarum intelligentes fidem mihi opinor neutiquam defore. Sanxerat Rex bello paceque clariſſimus, vt, partita in Patres et plebem omni multitudine, alteri parti ab altera eximia commoda expectanda eſſent, quorum mutua ſpes animos perpetua ac ſtabili deuinciret copula. Inter Iura tum conceſſa plebi magiſtratuum creandorum poteſtatem nominatim ponit DIONYSIVS HALICARNASSENSIS [1]. Quod inſtitutum commune habuit cum Athenienſi Romanus Populus [2]. Quandoquidem vero ſolis Patritiis, Patrum

1) Ant. Rom. L. II. c. 66. iunge Liu. L. I. c. 17. 2) PETITVS Comment. in leges Attic. p. 220.

Digitized by Google

trum primitus lectorum progeniei, magiſtratus gerere datum erat, haud poterat tamen vllus potiri magiſtratu, niſi cui fauentior plebs detuliſſet. Vnde fieri nequiit, quin quo flagrantius quisque honores ac dignitates appeteret, eo ſollicitius ſe in plebis gratiam inſinuare laboraret. Ex quo fonte manarunt omnes illae artes, quae ad plebem demulcendam ſenſim adhibitae ſunt; quod iam obſervare memini GVIDONEM PANCIROLLVM, ICtum Italum [3].

II. Libera republica vt maior plebis poteſtas, ita maius ambiendi ſtudium.

II. Ea vero res vehementius erupit, quum exactis vrbe regibus, ipſa rei Romanae ſumma ita temperata eſſet, vt plebs crearet magiſtratus, Patres auctores fierent. Tum enim mobilium turbam Quiritium omnibus artibus conciliare opus habebant, quotquot ad rempublicam adſpirabant. *Noſtrum eſt*, inquit CICERO pro Plancio [4], *qui in hac tempeſtate populi iactamur ac fluctibus, ferre modice populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas: honores ------ ſi expetamus non defatigari ſupplicando.* Nec dubium eſt, quin ipſae Leges Tabellariae, quibus plebs ſuffragia tacite ferendi ius nacta eſt, ambitum ſi non auxerint, certe aluerint [5]. Quum enim, quamdiu populus

3) Theſ. variar. lect. L. II. c. 135. 4) cap. 4. 5) CICERO quidem de Legibus L. III. c. 17. Leges Tabellarias ambitioſis oppoſitas ſcribit. At loquitur

lus voce ſuffragia dabat, intelligi confeſtim poſſet, in quamcunque partem populi voluntas inclinatura eſſet: quo ipſo candidatis, qui ſe praeteritum iri praeuidebant, vel plebem in ſuffragia nondum miſſam denuo orandi ac flectendi, vel totum actum fraudibus dolisque impediendi occaſio praebebatur: nihil ſane eorum fieri licuit, poſtquam tabellis ſuffragia ferri coepta ſunt. Quare multo ante quam comitiorum tempus ingruebat, omnem lapidem moueri oportuit, vt popularis aura captaretur. Nihil tamen prenſandi morem magis neceſſarium reddidiſſe videtur, quam conſtitutiones illae, quibus cum Latio et Italia ciuitas communicata eſt [6]: qua conceſſione, vt egregie oſtenderunt duo acutiſſimi homines acceleratum maxime eſt Reipublicae fatum [7]. Quo maiori enim tum acceſſione creuit ciuium numerus, eo plurium pelliciendorum, ſibique adiungendorum onere premebantur candidati.

III. Sub Imperatoribus ſenſim exoleuit.

III. Sed, an ſub Imperatoribus antiqui in plebe prenſanda colendaque moris vſus et neceſſitas ſuperfuit? Puto

tur Cicero de illicitis artibus fraudibusque prenſantium, quas remouerunt libertatemque ſuffragiorum muniuerunt Leges Tabellariae. 6) EZECH. SPANHEMIVS Orbe Rom. c. 10. 7) Auctor libri de magnitudine Romanorum c. 9. et ex eo cultiſſimus vitae Ciceronianae nuperus ſcriptor Anglus MIDDLETONVS Vol. I. c. 20.

Puto reſpondendum, ſub Auguſto indulgentiſſimo Principe viguiſſe, ſed ſenſim concidiſſe, maxime poſtquam Tiberii iuſſu e campo in curiam translata fuerunt comitia. Auguſtus ius comitiorum, quod Iulius Caeſar paullulum imminuerat, reduxit; et quum magiſtratus crearentur, non modo cum candidatis ſuis tribus circuiuit, ac ſolemni more ſupplicauit, ſed ipſe quoque in tribu, vt vnus e populo, tulit ſuffragium: quemadmodum memoriae de ipſo prodidit SVETONIVS [8]. Verum tamen haud diffiteor illa omnia ad Auguſti voluntatem peracta fuiſſe. Tiberius a patre relictum plebi in ſpeciem ius abſtulit, ac licet Caligula, vti erat ſingularis popularitatis mirus ſimulator, ſuffragia populo reddere tentaret [9], nihil tamen perfeciſſe credibile eſt: Certe IVVENALIS, Domitiani aeuo, de Populo Romano

Iam pridem, ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effudit curas [10];

vnde perſpicuum iudico, multo ante Iuuenalis aetatem magiſtratuum creandorum iure caruiſſe plebem. Plura in hanc rem reperiri poſſunt apud eruditiſſimum Iuuenalis interpretem [11] CAMILLVM SILVESTRVM RHO-

8) In vita Aug. cap. 40. 56. 9) SVETONIVS in vita eius cap. 16.
10) Sat. X, 77. 11) pag. 535.

Digitized by Google

DIGINVM, et EZECHIELEM SPANHEMIVM in orbe Romano [12].

IV. Romani ad ambiendum propenſiſſimi.

IV. Hactenus mihi videor de cauſſis tam operoſe exerciti ambitus affatim diſputaſſe. Ex quibus, quid Romani de vniuerſa ambiendi ratione ſenſerint, colligi poteſt. Ac primo quidem, licet ambitionem honorumque contentionem inter vitia ponerent, vitium tamen illud propius virtutem eſſe, ſaepeque virtutum cauſſam exiſtere iudicarunt SALLVSTIVS [13] ac QVINCTILIANVS [14]. Quoties praeterea vel de ſuae, vel aliorum ambitionis occupatione loquitur CICERO [15], ſic fere meminit eiusdem, vt appareat, licitum ipſi, ac perquam honeſtum videri honorum ſtudium: quanquam ſi attente examinemus locorum Ciceronianorum contextum, intellectu facile ſit, ſermonem eſſe de ordinaria magiſtratuum in republica petitione, non de illa animi contentione, quae honoribus, imperio, ac gloriae inhiat, quaeque nec parem ferens, nec ſuperiorem, cum Ioue ipſo, vt in IVLIANI Caeſaribus de Iulio Caeſare dicitur, de principatu certare haud veretur. In quod ambitionis genus ipſe alibi grauiter inuehitur [16]. Deinceps officia illa prenſantium, ac multiplicia

12) cap. 20. 13) Bello Catil. c. 11. 14) de Inſtit. Orat. L. I. c. 2.
15) de Orat. L. I. c. 1. L. III. c. 2. pro Plancio c. 8. 16) de Off. L. I. c. 25. de amicitia c. 10. Tuſculan. L. III. c. 2.

tiplicia in munere candidatorio obeundo ſtudia tantum abeſt, vt ſe dedecuiſſe putarint ſummi viri, vt potius laudarent ac commendarent vnice. Quid luculentius ea exhortatione ac monitis, quibus Marcum fratrem ad ſubeundos labores in comparanda populi gratia adhiberi ſolitos exſtimulat Q. CICERO in libello, qui inſcribitur de Petitione Conſulatus? Quam aperte ipſe M. CICERO in Oratione pro Cn. Plancio [17] teſtatur, clariſſimos viros nullis peperciſſe ſtudiis, quibus plebis tribuumque fauorem venarentur, *plena illa officii eſſe* inculcans, *plena obſeruantiae, plena etiam antiquitatis?* Quid grauius denique Catone Vticenſi? quid L. Craſſo? quid Scipione Naſica? quid elegantiae ac decori ſtudioſius Caeſare Auguſto? At illi circuire plebem, vnumquemque blandius appellare, prenſare manus ac ſolemniter ſupplicare non ſunt dedignati. Quin nullius lenociniorum, ac incommodorum ambitus ergo piguiſſe aut puduiſſe veteres Romanos, liquet ex HORATIO [18], PERSIO [19], SENECA [20], TERTVLLIANO [21], AVSONIO [22], aliisque, quorum loca in ſequentibus occurrent.

 V. Ne-

17) cap. 8. 18) L. I. ep. 6. v. 50. 19) Sat. V. v. 176. 20) Ep. 118. 21) de Poenitent. c. 12. 22) In gratiarum actione ad Gratianum pro accepto Conſulatu c. 5.

V. Sed incommoda et ineptias ambiendi intellexerunt.

V. Neque tamen putandum eſt, fugiſſe Romanos, quam parum honeſte a vulgo petantur honores, in quo *non conſilium, non rationem, non diſcrimen, non diligentiam eſſe* vltro confitetur CICERO [23]. Aegre duriſſimum hoc iugum tulerunt, deque iniquitate legis, quae ipſis plebi adulandi neceſſitatem impoſuit, vehementer conqueſti ſunt, quotquot animi magnitudine ac grauitate reliquos anteibant. Nolim vero huc trahatur locus e CICERONIS de Oratore libris [24], vbi Craſſus ſic loquens introducitur: *Equidem quum peterem magiſtratus, ſolebam in prenſando a me dimittere Scaeuolam, cum ei ita dicerem, me velle eſſe ineptum: id erat petere blandius; quod niſi inepte fieret, bene non poſſet fieri;* quae repetuntur paucis immutatis a VALERIO MAXIMO [25]. Non ineptam ipſam prenſationem vocat Craſſus, ſed blandas ac ridiculas appellationes, et facta plebi ineſcandae inſeruientia, quae inter prenſandum interueniebant. Ambitioſius enim petentes ſolebant ſordidiſſimum quemque e vulgo alloqui, ac, prouti conditio hominis ferebat, iocularia dicere, fratrem patremue appellare, dextras porrigere, manus nonnunquam oſculari, quin ad pedes ſe proſternere; quae vt faceret, praeſente Scaeuola ſocero ſuo, viro longe grauiſſimo, impetrare

23) pro Plancio c. 4. 24) L. I. c. 24. 25) L. IV. c. 5. n. 4.

trare a pudore ſuo nequibat Craſſus. Quare ipſum, quum procedendum ſibi eo videret fore, a ſe dimiſit interferens, ſe ineptire in praeſentia eius nolle: quia omne id, quod vel tempori, vel negotio, vel perſonae agenti minus conuenienter fit ac dicitur, ineptum exiſtimari debet. Sed grauius alibi CICERO de ambitione fert iudicium, ſcribens *in ciue excelſo, atque homine nobili, blanditiam, oſtentationem, ambitionem notam eſſe leuitatis*[26].

CAPVT II.

De ſignificatione Ambitus; deque differentia inter ambitum licitum et illicitum.

I.

Perfuncti diſquiſitione, quae in ſequentibus locum commode habitura haud videbatur, vnde ambitus emergere coeperit, et cur ferri tamdiu in republica Romana continuarique debuerit, nunc propius ad explicandam indolem ambitus, variasque ſpecies accedimus. *Ambire* I. Ambitus Etymon.

26) L. IV. de Republ. fragm. e NONIO v. Blandimentum inter fragm. CIC. p. 1406.

proprie eſt *circumire.* Et *ambitus circuitus* ſecundum VARRONEM[1]; quod confirmant FESTVS[2] et NONIVS MARCELLVS[3]. Inde illi, qui populum in rogatione magiſtratuum circuibant ſupplices, ambire dicti. *Qui populum candidatus circumit, ambit,* VARRO ſcribit[4]. Ac deinceps ampliato vocis ſignificatu, a more illo, quo praecipue peragebatur ambitus, a circuitione circa forum, vicos ac domos, omnis petitionum, prenſationum occupatio, ambitio et ambitus vocari coepit; FESTVS[5] *honoris ambitus dici coeptus eſt a circumeundo ſupplicandoque.* Ceterum inter ſe differre videntur ambitio et ambitus, quod *ambitionem* a CICERONE aliisque Scriptoribus antiquis plerumque pro legitima petendi ratione, *ambitum* pro illicita et immodica prenſatione vſurpari didici. Alii alias differentias notant. Quoniam vero eos, qui plurium conſenſu ad rem aliquam aſſequendam, opus habent, ſingulos adire, atque ab vno ad alterum curſitare oportet; exinde venit, vt ambire idem ſignificaret, ac diligenter enixeque rogare, vel gratiae colligendae inſeruire. Quemadmodum etiam ambitionem dici conſueuiſſe notum eſt[6].

HORA-

1) de lingua Latina l. 4. p. 7. 2) de verborum ſignificatione voc. Ambitus. 3) de var. ſignif. Serm. p. m. 242. 4) de lingua Latina l. 4. p. 10. 5) de verbor. ſignif. loco ſupra citato. 6) vid. GVIL. BVDAEVS Annot. prior. in Pandect. p. m. 522. 524. et CL. ERNESTI Clauis Ciceron. v. Ambitio.

HORATIVS cauſſam indicaturus cur ſcripta ſua publice contemni ac proſcindi ſoleant, ait

Non ego nobilium Scriptorum auditor et vltor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor [7].

hoc eſt, non oro Grammaticos, vt mea carmina commendent.

Saepe cum verbis eadem ſignificatione praeditis coniungitur, vt in SALLVSTIO aliquoties [8], et apud PLINIVM [9]. Plane ſimili ratione *circumire* vſurparunt veteres. Apud PETRONIVM [10] de puero miſſionem flagitante ait Fortunata: *Circuibat iam dudum pedes noſtros, et miſſionem rogabat.*

II. Latini ſcriptores, cum de ambitu agunt, prenſare et prenſationem frequenter dicunt, quia nullum lenocinii genus in candidatorum petitionibus magis obuium, quam manuum prenſationes [11]. Loca auctorum ad rem ſatis notam probandam corradere haud eſt neceſſe. Rem conficiet teſtimonium e CICERONE petitum, qui alicubi, *Prenſat vnus*, ait, *P. Galba ſine fuco ac fallaciis more maiorum*, et paucis interiectis: *Non aliena rationi noſtrae fuit illius haec praepropera prenſatio* [12]. LIVIVS [13] *circumire* et *prenſare* coniungit.

II. Quomodo graece et latine alias vocetur.

7) L. I. ep. XIX. v. 35. 8) Bello Iugurth. c. 17. et 86. 9) L. II. ep. 9. 10) Satyric. c. 54. 11) Aliter vim verbi prenſare cepit TVRNEBVS Aduerſ. L. XXV. c. 15. 12) Ad Attic. L. I. ep. 1. 13) L. I. cap. 47.

Digitized by Google

iungit. Idem Graece δεξιοῦσθαι reddi ſolere docent BVDAEVS[14] et HENR. STEPHANVS[15]. Vtitur ea voce PLVTARCHVS, qui et alio loco vocat ποιεῖν τὰς δεξιώσεις[16]: Alias ambitum Graece vocari reperio περιδρομήν. DIO CASSIVS[17] Δομίτιός τέ τις Φλῶρος περιδρομῇ θεραπείας πρὸς σπουδαρχίαν. κ. τ. λ. *Domitius quidam Florus, quum circuiret ſupplicando Magiſtratus impetrandi ergo:* GLOSSAE NOMICAE[18]: Ἄμβητος λέγεται ἐπιθυμία τιμῆς, δωροδοκία, περιδρομή, φθορὰ κρίσεως. κ. τ. λ. Sed idem quoque, vt ex loco DIONIS CASSII excitato liquet, ſignificat θεραπεία. Certe θεραπεύειν hoc ſenſu vſurpant Graeci ſcriptores, vt exemplis comprobat PETRVS FABER[19]. Reſpondent Graeco illi Latina verba *curare* et *colere,* vt idem egregie obſeruat[20].

De aliis Graecorum Latinorumque vocabulis[21] eandem rem exprimentibus conſulto ſilemus.

III. Iam

14) Commentar. ling. Graecae p. 606. 15) Theſaur. ling. Graecae T. I. p. 962. 16) In Catone minori p. m. 783. 17) L. LXXVIII. c. 22. p. 36. ed. Falcon. 18) Ed. Labbaei p. 8. 19) Semeſtr. L. I. c. 20. p. 135. Apud POLLVCEM L. IV. c. 6. Segm. 49. et 50. occurrit θεραπεύειν et θεραπεία: quae redduntur *Seruire* et *Seruitus.* Opiner rectius reddi *colere* et *obſequium* propter ea, quae vtrobique antecedunt et ſequuntur. 20) Conf. GVIL. BVDAEI Commentar. linguae Graecae p. 389. 21) vid. GVIL. BVDAEVS Annot. prior. in Pandect. p. 522.

III. Iam rei ipſius tractationem a definitione auſpicamur. *Ambitum* igitur, vel *ambitionem*, quo vocabulo rectius vtendum cenſemus, quum de ambiendi negotio vniuerſim agitur, deſcribimus per ſolemnem honorum et magiſtratuum petitionem, cum ſtudiis et artibus ad elicienda populi ſuffragia comparatis, coniunctam. Solemnitates in munere candidatorio fungendo vſitatas, candidatorumque artes ſequenti capite commemorabimus. Ceterum duplex occurrit ambitionis conſideratio. Nam aliud ambiendi genus receptum inter antiquos, et ſemper approbatum fuiſſe reperimus, quod in laudabili dignitatum per virtutes et merita comparandarum ſtudio, nec non in honeſtis populi oculos ac fauorem ad ſe trahendi conatibus, poſitum erat. Aliud procedente aetate inuectum, quod prauis artibus fiebat, quum nimirum candidati flagitiis ac infami largitione contenderent, plebemque corrumpere omnibus modis niterentur. Hic eſt proprie ambitus ille, qui tot legibus materiem dedit. Vtriusque ambitionis meminit AVCTOR declamationis in Salluſtium, quae Ciceroni vulgo tribuitur; *Non hanc*, inquit, *dico popularem ambitionem*, *cuius me principem confiteor, ſed illam pernicioſam contra leges, cuius primos or-*

Definitio et differentia ambitus.

dines Salluſtius ducit [22]. Et VARRO: *Qui populum candidatus circumit, ambit: qui aliter facit indagabili ex ambitu cauſſam dicit* [23]. Priori modo ambire CICERO [24] et CORNELIVS NEPOS [25] vocant *more maiorum* prenſare vel petere: alibi CICERO [26] *ordinatim petere honores.* Illicitae prenſationis modos, in quibus reapſe ambitus conſiſtit, infra illuſtrabimus.

CAPVT III.

De legitimis ambiendi modis.

I.

De ambitus partibus generatim

Quum ab eruditiſſimis viris, maxime a CAROLO SIGONIO [1] et MENTETO KETWIGIO [2], fuſe et diligenter expoſita ſit omnis honores et magiſtratus petendi ratio, nobis hic breuioribus eſſe licebit. Fundus

22) in op. Salluſtii T. II. p. 213. 23) de lingua Latina L. IV. p. 10. 24) Epiſt. ad Atticum Lib. I. ep. 1. Conferatur in hunc locum TVRNEBVS in Aduerſ. L. VIII. c. 24. Exiſtimat Turnebus, Galbam ludi a Cicerone, quod eum absque fuco et fallaciis more maiorum prenſaſſe ſcribit, quae ambiendi modeſtia in illo Reipublicae corrupto ſtatu plane inepta erat. Sed opus non eſt, vt luſum hic quaeramus, quum ſemper ſupereſſent honeſti viri, qui peſſimos mores tum vigentes odiſſent. 25) in Attici vita c. 6. 26) Ep. ad fam. L IV. ep. 5.

1) de Iudiciis Populi Romani L. II. c. 30. 2) in Libro, quem de ambitu antiquo et hodierno inſcripſit Parte II.

Digitized by Google

Fundus tractationis erit elegantiſſimus Ciceronis ad Marcum fratrem de conſulatus petitione libellus. Diuidit Cicero petitionem magiſtratuum in *duarum rationum diligentiam*[3], quarum alteram in amicorum ſtudiis[4], alteram in populari voluntate poſitam ſcribit. Prior verſabatur in propinquorum, neceſſariorum, ac eorum, qui aliquid voluntatis oſtenderant, ſalutatorum, deductorum, aſſectatorum[5] fauore et amicitia concilianda et retinenda; poſterior deſiderabat nomenclationem, blanditiam, aſſiduitatem, benignitatem, rumorem, et ſpem in republica[6]. Singulas has partes vberius explicat ipſe Cicero. Ceterum vltima duo, *rumorem et ſpem in republica* naſci plerumque ex ambitione, adeoque non tam ambiendi modos, quam effectus diligentiae in ambiendo poſitae eſſe ſolere, vnusquisque intelligit. Quoniam praeterea alia ambiendi ratio erat, antequam in campum comitiorum habendorum ergo iretur, alia populo iam praeſente et ad magiſtratum creandum ſe accingente, in vtraque illuſtranda nonnihil operae ponemus.

II. Sollicitati erant petituri magiſtratus, vt quam plurimorum compararent amicitias. Patet vero latius nomen amicorum, et praeter neceſſitate coniunctos, magi- Quarum altera in amicorum ſtudiis conſiſtebat.

3) de pet. Conſul. c. 5. 4) ibid. c. 10. 5) c. 4. 8. 9. 6) c. 11.

magiſtratus, publicanos, equites, tribules, vicinos, clientes ac domeſticos, principes collegiorum, ſodalitatum, pagorum, municipiorum, vicinitatum, complectitur. Longum foret, ſi de his definite loqui ſuſciperem, quos aliunde notos eſſe oportet. Omnis igitur petentium cura in eo conſiſtebat, vt neminem commemoratorum hominum non obſeruarent, officiis ac obſequiis deuincirent, quo viciſſim ab iis colerentur et obſeruarentur. Verba enim *colere* et *obſeruare* de vtrisque tam petitoribus, quam iis, qui prenſantur, vſurpari, notat PETRVS FABER [7]. Sed maxime nitebantur, vt numerus eorum, qui iam aliquid voluntatis monſtrarant, *fauitorum*, vti a PLAVTO [8] vocantur, augeretur. Hi fere erant, qui mane domos potentium ac diuitum, aut gratioſorum hominum ventitabant, officioque ſalutationis fungebantur, vulgo *Salutatores* [9] dicti. PLVTARCHVS [10] de Cicerone narrat eum, ne moleſtum eſſet frequentantibus domum ſuam officii cauſſa, longius ire, in palatio habitaſſe, conceſſis fratri aedibus paternis. Stipabat praeterea ambulantes magna hominum ex omnibus ordinibus copia, et vel in forum procedentes, vel inde

7) Semeſtr. L. I. c. 20. 8) in Prol. Amphitr. v. 78. 79. 9) vid. PALERMVS in Comment. in Q. Ciceronem de petit. Conſulat. pag. 293.
10) in vita Cicer. T. I. opp. p. 864.

Digitized by Google

inde domum ſe recipientes deducebat, vnde *deductorum* nomen ortum. Ciceronem reum factum haud pauciores viginti millibus e iuuentute comitatos eſſe tradit PLVTARCHVS [11] in eius vita.

Tertium denique genus fuit *aſſectatorum*, qui aſſidue ſepiebant et comitabantur petitores. Aſſectari haud detrectabant ipſi principes ciuitatis maxime in iuuandis neceſſariis ſuis, vt patet exemplis Scaeuolae et P. Galbae, quorum ille [12] L. Craſſum, hic [13] P. Craſſum aſſectatus eſſe legitur. Adhiberi autem ſolebant auctoritate et potentia pollentes viri, vt candidatos commendarent, ipſisque ſuffragarentur [14]. Licite autem haec fiebant et more maiorum, vt proinde praeter rationem CATO [15] a Senatu petiiſſe videatur, vt decerneret, ne per alios prenſare populum liceret. Ex reliqua ſectatorum multitudine, quanto numeroſior erat, eo certior coniectura fieri poterat, quanto in ipſo campo virium ac facultatis habiturus eſſet petitor [16].

III. Nihil ſecundum Q. Ciceronem tam populare, nihil tam gratum videtur, quam dum opera datur, vt homi- Altera in populari voluntate.

C 3

11) T. I. opp. p. 876. 12) CICERO de Oratore L. I. c. 24. 13) ibid. Lib. I. c. 50. 14) KETTWIG. de Ambitu P. II. §. 20. 15) PLVTARCHVS in vita Caton. T. I. pag. 783. 16) M. CICERO de petit. Conſul. c. 9.

Digitized by Google

Et 1) In nomenclatione.

homines noſcantur, ſignificare, vt id appareat, et augere, vt quotidie melius fiat. Quamobrem M. Cicero, vbi animum ad rempublicam applicuit, non modo diſcendis ciuium nominibus ſtuduit, ſed et domicilia praeſtantiorum quorumcumque, praedia, vicinos, ac amicos diligenter notabat, vt auctor eſt PLVTARCHVS [17]. Turpe enim rebatur publica munera obeunti, ciues, quorum auxilio ipſi vtendum ſit, non noſſe, quum nullus reperiatur opificum, quem inſtrumentorum, quae tractat, fugiant nomina et vſus. Cato etiam per ſe elaboraſſe dicitur [18], vt appellaret ſalutaretque ciues. Quoniam vero in tanta prenſandorum hominum multitudine fieri haud poterat, vt candidati omnium nomina ipſi tenerent, propterea ali coeperunt ſerui, *Nomenclatores* vocati, qui heris quum appellandi et ſalutandi eſſent obuii, nomina ſuggerebant. Vſi ſunt nomenclatoribus Cato et Cicero, vti oſtenſum pluribus eſt a MIDDLETONO [19], V. Cl. Dignus eſt qui hic legatur HORATII [20] locus, quod nomenclationem et alias ambitus partes egregie ob oculos ponit:

Mercemur ſeruum, qui dictet nomina, laeuum
Qui fodicet latus, et cogat trans pondera dextram
Porri-

17) in vita Cicer. T. I. p. 863 864. 18) PLVTARCHVS in vita Cat. T. I. p. 763. 19) in vita Cicer. T. I. p. 77. 20) Epiſtol. L. I. ep. 6. v. 50.

Digitized by Google

Porrigere: hic multum in Fabia valet, ille Velina:
Cui libet, is faſces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur: frater, pater adde:
Vt cuique eſt aetas, ita quemque facetus adopta.

IV. *Blanditia etſi vitioſa eſt in cetera vita et turpis, tamen in petitione eſt neceſſaria*, inquit Q. CICERO [21]. Complectitur omnia lenocinii genera, quibus popularis fauor capitur; quo pertinent manuum oblationes et prenſationes, item oſcula, de quibus SENECA [22]: *Quam putas eſſe iucundum, quum* (e candidatis) *alius eorum manus oſculis conterat, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt.* Notus eſt iocus P. Scipionis Naſicae, qui, more candidatorum, manum ruſtici apprehendens duram, ex eo rogauit, num manibus ambulare ſolitus ſit [23]? Quod dicterium repulſa ſecuta eſt. Rem etiam indigitat HORATIVS in illo verſu: a) In blanditia.

Et cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Ad blanditiam ſimiliter referuntur comes et facetae appellationes, quum frons, vultus, ſermo, ad eorum, quicumque conuenirentur, ſenſum et voluntatem accommo-

21) De petition. Conſul. §. 11. 22) Ep. CXVIII. 23) VALER. MAXIM. L. VII. c. 5. n. 2.

commodaretur, vel vt HORATIVS ait, ſinguli, prout cuique aetas erat, facete adoptarentur. MAMERTINVS [24]: *Prehenſandae obuiorum manus, omnibus arridendum; non ſolum cum infimis, ſed etiam cum ignotis familiaritatis imago ſimulanda, multaque alia propter honorem agenda, quae alias virum honore dignum facere non deceret.*

3) In aſſiduitate.

V. *Aſſiduitatis fructus eſt, non ſolum eſſe Romae, atque in foro, ſed aſſidue petere, ſaepe eosdem appellare* [25]. Verſabatur ergo praecipue in circumeundo forum, domus, ſtationes; atque id requirebatur, vt eſſent praeſentes ſemper, ac obuerſarentur oculis ciuium. Praeterea compellandi, commonefaciendi, precibusque fatigandi erant ciues. Vniuerſam aſſiduitatis rationem optime declarat PLINIVS [26], de ſe ipſo ſcribens: *Itaque prenſo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationesque circumeo: quantumque vel auctoritate, vel gratia valeam, precibus experior:* Aſſiduitatis rationem egregie illuſtrat GRONOVIVS [27].

4) In benignitate.

VI. Longe maximam vero vim habuit *Benignitas*, quam idem Cicero conſiſtere ait *in largitionibus e re familiari, conuiuiis ac ſpectaculis, et opera.* Praecepta de benignitate plurima cumulat, benignitatemque copioſe deſcri-

24) In gratiarum actione pro Conſulatu ad Iulianum c. 16. 25) CICERO de petitione Conſulat. §. 11. 26) Ep. Lib. II. ep. 9. 27) de pecunia veteri Lib. IV. c. 9. p. 317.

deſcribit CICERO de officiis libro ſecundo [28]. Diſtribui ſolebat *pecunia*, vt CICERO diſerte ſcribit. Quae pecunia congiarii nomine appellari ſolita eſt. Congiaria autem vocabantur non ſolum dona populo viritim diviſa, ſed etiam munera priuatis, et ſingulis, data, vt oſtendit ad Suetonium TORRENTIVS [29]. Vocantur alias largitiones pecuniariae, ſingulis ciuibus factae, proprio vocabulo *diuiſiones* vel *diſtributiones*. Sic antiqui Iurisconſulti MARCIANVS [30], PAVLVS [31], MARCELLVS [32]. Antiquitus *frumentum*, ac *panes* diuidebantur; de qua largitione poſt LIPSIVM [33] peculiari libello egit VINC. CONTARENVS. Exercebantur illae liberalitates ab Aedilibus in Aedilitate, teſtibus CICERONE [34], ac LIVIO [35]; qua potiſſimum re ad maiores honores via parabatur. Vſitatae etiam in Aedilium ludis miſſilium ſparſiones, inter quas *fabarum* et *ciceris fricti* mentionem faciunt HORATIVS [36], et PERSIVS [37]. Mos praeterea erat iuuare obaeratos pecunia, redimere captiuos, in filiarum collocatione opitulari: Nihil etiam

D frequen-

28) cap. 15. 16. 17. 29) in Iul. Caeſar. c. 27. 37. 30) L. 117. D. de Legat. 1. 31) L. 122. eod. 32) L. 33. de Legatis ann. conf. TORRENTIVM in Suetonii Caeſ. c. 83. 33) in Electis Lib. I. c. 8. 34) de Officiis Lib. II. c. 16. 35) Lib. XXV. 2. et alibi. 36) Serm. Lib. II. 3. v. 182. 37) Sat. V. v. 177. 178.

frequentius *ſportulis*. Multum denique pecuniae in ipſius reipublicae vel vſum, vel decus, vel ciuium oblectationes inſumebatur, quo in genere fuerunt viarum, murorum, portarum, theatrorum, baſilicarum, templorum exſtructiones. Nec minus ad benignitatem pertinebant; epulae, coenae, viſcerationes, munera gladiatoria, magnae impenſae in inſtruendo ac dando ludorum venationumque apparatu. CICERO pro Murena[38]: *Quare nec plebi Romanae eripiendi fructus iſti ſunt ludorum, gladiatorum, conuiuiorum, quae omnia maiores noſtri comparauerunt: nec candidatis iſta benignitas adimenda eſt.* Tertium genus, *opera* nempe, in patrociniis, defenſionibus, facili admiſſione, ac officiis multiplicibus ſitum erat. Quae quidem omnia ſtudia petitorum ita irridet TERTVLLIANVS[39]: *Sed enim illos, qui ambitus obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animi et corporis, nec incommodis tantum, verum et contumeliis omnibus, exili in cauſſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? Quae non atria nocturnis et crudis Salutationibus occupant? ad omnem occurſum maioris cuiusque perſonae decreſcentes; nullis conuiuiis, nullis commeſſationibus congreges, ſed exules a libertatis et laetitiae felicitate, idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.*

VII.

38) cap. 36. 39) De poenitentia c. 12.

De ſtudiis petitorum, ipſo comitiorum die.

VII. His fere artibus ante comitia creandorum magiſtratuum, et velut e longinquo inſidiari voluntatibus ciuium ſolebat officioſiſſima candidatorum natio. Aſt vbi iam ingruebat comitiorum dies, tum demum omnes intendebant neruos ad captandum praeſentis populi fauorem. Primum moris erat, vt nundinis in comitium venirent, inque colle conſiſterent, vnde coram ab omnibus poſſent conſpici, auctore MACROBIO[40]. Spectabiles reddebat toga candida creta infecta[41], ordinarium petitorum geſtamen, ex qua candidati nomen. Tum profeſſi ſe petere velle[42], et petendi poteſtate impetrata, ſummo mane, poſtquam ſacrificauerant, in forum, vel in campum Martium, in quo plerumque comitia habebantur, ſe conferebant, ſepti magno aſſectatorum et ſuffragatorum comitatu. Ibi tam ipſi, quam eorum amici circuire tribus, prenſare ſingulos, permiſcere ſe populo, ac vnumquemque appellare ſuſtinebant. Praeterea rationes vitae ac petitionis ſuae exponebant, competitoribus ſuis obtrectabant[43], et ab aliis commendabantur. Plebe deinceps intra cancellos coacta, et in

40) Saturn. Lib. I. c. 16. 41) Hinc cretata ambitio apud PERSIVM Satyr. V. v. 175. 42) BRISSONIVS de Formulis Lib. II. c. 12. 43) PLINIVS Epiſt. Lib. III. ep. 20. Sed accipiendus videtur hic locus pro temporum iſtorum ratione, quibus in curiam translata erant comitia.

in ſuffragia miſſa, ipſi in locum candidatis [44] aſſignatum concedebant. SENECA [45] in templis pependiſſe ſcribit: vbi attoniti euentum et vocem praeconis expectabant, meditantes, ſi repulſam tuliſſent, in eos, qui deſignati erant, accuſationem.

CAPVT IV.

De ambitu illicito, ſeu crimine ambitus, variisque illius modis.

I.

Deſcriptio criminis ambitus.

Quemadmodum prudenter cautum fuit in republica Romana, ne pro nauata in magiſtratu, in iudicando, patrocinando, cauſſas orando, opera, mercedem vllam, munusue capere fas eſſet, quo turpibus quaeſtibus ac corruptionibus locus praeſcinderetur, quae cura imprimis Legem Cinciam de muneribus peperit, ita variis ſubinde legibus circumſcripta quoque fuit ambiendi ratio, poſitusque perniciosis largitionibus modus. Qui igitur aliter petebat, ac per leges et mores licitum erat, *ambitum* committebat, quem deſcribi poſſe exiſtimamus

crimen

44) POLYBIVS Hiſtor. L. X. n. 5. 45) Ep. CXVIII.

Digitized by Google

crimen affectati per largitiones et artes illegitimas honoris: Isidorvs[1] *ambitus iudicium in eum eſt, qui largitione honorem capit et ambit;* multa etiam in hanc rem reperiuntur in Ciceronis oratione pro Plancio, quae tota de ambitus crimine agit. Recte vocauimus crimen, quia cauſſam dicere cogebantur eius rei. Varro de lingua Latina[2] *qui aliter petit,* id eſt illicitis modis, *indagabili ex ambitu cauſſam dicit.* Criminis enim appellatione accuſationem inſigniri probat Clavd. Salmasivs[3]. Eſt vero crimen ambitus ex eorum genere, in quae ex legibus publicorum iudiciorum dabatur iudicium: auctore Macro[4] L. l. D. de Publ. Iudiciis.

II. Plurima erant et largitionum et corruptionum genera, ac diuerſimode committebatur ambitus. Nihil frequentius datione nummorum, qui vel diſtribuebantur ab ipſis petitoribus, vti de Pompeio narrat Plvtarchvs[5] in eius hortis numeratam fuiſſe pecuniam, vel per tribus et centurias viritim diuidebantur, de qua diuiſione accurate egit Nic. Grvchivs[6]. Praeſto erant in diſtribuendis nummis homines, qui diuiſores **De Largitionibus illicitis.**

 voca-

1) Orig. Lib. V. c. 26. 2) Lib. IV. p. 10. 3) Obſeruat. ad Ius Atticum et Roman. c. 10. p 292. 4) Ex Macri Libro I. Iuditior. 5) In vita Pompeii p. 774. adde Casavbonvm Not. in Suet. Caeſarem c. 19. 6) De Comitiis Roman. Lib. I. c. 3.

vocabantur. CICERO pro Plancio [7]: *Doce largitum eſſe:* et paulo poſt: *Vnam tribum delige, doce, quo diuiſore corrupta ſit.* Idem in Verrem [8]: *Reperiebam - - - - diuiſores omnium tribuum noctu ad iſtum vocatos.* Vtrum vero tribus omnes habuerint legitimos ſuos diuiſores, an *diuiſores* criminis nomen ſit, miror dubitari ab ASCONIO. Sed legitimos fuiſſe, et eorum operam in largitionibus illis licitis, quarum ſupra meminimus, interueniſſe, contendit GRVCHIVS [9]. Quum deinceps miniſterium ad candidatorias ſuffragiorum nundinationes libenter commodarent, nummosque in tribus diſtribuerent, inuiſum ac deteſtabile factum diuiſoris nomen. CICERO diuiſorem et furem coniungit [10]. Ceterum in omnibus illis locis auctorum, in quibus diuiſorum mentio fit, ita deſcribitur eorum miniſterium, vt perſpicue intelligatur, nummorum et pecuniae diuiſione functos eſſe, non tabellarum. Sed HOTTOMANNVS [11] vtrumque ab iis factum, et *diuiſores* ac *diribitores*, ſeu tabellarum in comitiis diſtributores, eosdem ſtatuit, quos tamen differre inter ſe opinantur BVDAEVS [12] et GRVCHIVS [13]. Quod eo, ſi quid iudico, corroboratur, quod diribitores

7) cap. 19. 8) Actione prima c. 8. 9) De Comitiis Roman. l. c.
10) Lib. III. in Verrem c. 69. 11) ad Cicer. Action. I. in Verrem c. 8.
12) Annot. poſt. in Pand. p. 80. 13) de Comitiis Roman. L. I. c. 3.

tores homines in dignitate aliqua conſtitutos fuiſſe liquet e Cicerone. Ait CICERO in oratione poſt reditum in Senatu [14]: *Quando tantam frequentiam in campo, tantum ſplendorem Italiae totius, ordinumque omnium: quando illa dignitate rogatores, diribitores, cuſtodesque vidiſtis?* Cui loco prorſus ſimilis eſt alter CICERONIS in oratione ad Piſonem [15]. Interim non nego per diribitores etiam multas fraudes fieri potuiſſe, et reapſe factas eſſe. Solebat autem, vt eo redeam, vnde digreſſus ſum, pecunia nonnunquam pronuntiari, hoc eſt, promitti, vt patet ex SVETONIO [16]: ſaepe ſequeſtribus [17] vtebantur, ſeu interpretibus, et confirmatoribus eorum, quae ſpoponderant, et apud eos deponebatur pecuniae diuidendae ſumma. Auctor eſt APPIANVS [18], inuentum eſſe, qui DCCC. talenta per ambitionem apud *ſequeſtres* deponeret.

III. Praeterea merces ſolui ſolebat pro affectatione: quod crimini verſum: CICERO pro Murena [19]: *At ſectabantur multi. Doce mercede: concedam eſſe crimen.* Factum enim CICERONE referente SCtum: *Si mercede corrupti*

De reliquis ambitus criminibus.

14) cap. 2. 15) cap. 15. 16) In Vita Caeſ. c. 19. 17) De Sequeſtribus multi multa, e quibus citare libet MENAGIVM Amoen. Iur. Ciu. c. 39. p. 347. et SCIPIONEM GENTILEM Orig. v. Sequeſter. Alio ſenſu occurrit Sequeſter L. 110. D. de verb. ſignif. 18) de Bellis Ciuil. Lib. II. 438. p. 724. 19) c. 33.

corrupti obuiam candidatis iſſent, ſi conducti ſectarentur, contra legem Calpurniam factum videri [20]. . Contra legem, epulis et prandiis vulgo excipiebant plebem; de quo pariter Senatusconſultum memoratum: *et item prandia ſi vulgo eſſent data.* Incredibile eſt quantam vim ad plebis gratiam aucupandam habuerint iſtae in epulis profuſiones; de quo vnicum ſuffecerit teſtimonium PLVTARCHI [21], qui populum, ad remunerandos ſumtus a Caeſare in prandia et coenas populares factos, nouos magiſtratus et honores quaeſiuiſſe tradit. Ex quo etiam diſcimus Caeſarem poſt victorias de Pompeio, et eius aſſeclis populum XXII. M. tricliniis excepiſſe [22]. Nec licitum erat dare gladiatores *biennio*, quo quis petebat, aut petiturus [23] erat. Quintum Gallium, qui gladiatores in petitione praeturae, anno poſt geſtam aedilitatem, dederat, ambitus accuſatum eſſe, ASCONIVS [24] memoriae prodidit. In SCto ad Ciceronis relationem facto dicitur: *Si gladiatoribus vulgo locus tributim datus.* Quod ſic explicat GRAEVIVS [25]: Si in ſpectaculis gladiatoriis plebi per ſingulas tribus data loca gratuita ſpectandi, contra legem eſſe.

Nam

20) cap. 32. loco citato. 21) in Caeſare pag. 709. 22) pag. 733. 23) v. probationes apud GRVCHIVM in Comit. Roman. Lib. I. c. 3. circa fin. 24) ad orat. Cicer. in toga candida p. 981. ed. Graeu. 25) ad orat. Cicer. pro Murena c. 32. p. 94.

Nam licuiſſe quidem certis hominibus ex ſua tribu dare gratis loca ſpectandi probat, ſed non tributim. In illegitimis porro artibus numerabatur deſcriptio et decuriatio populi vel tribulium, quae nihil aliud erat, quam hominum, quos pecuniae pollicitatione in ſuas partes traxerant, in certas decurias vel claſſes conſcriptio, vt de fautorum copia eo certius conſtaret. Ad vim potiſſimum ſpectaſſe illas decuriationes probe animaduertit SIGONIVS [26], quia eorum nimirum opera in ſeditionibus et factionibus, circa comitiorum tempus excitatis, vtebantur candidati. Aliquoties earundem meminit CICERO [27]. De ſodalitatum et collegiorum in corrumpendis tribubus auxilio, deque reliquis rebus per leges ambitus prohibitis in ſequente capite agetur.

26) de Iudiciis Lib. II. c. 30. 27) Orat. pro domo ad Pontif. c. 5. pro Plancio c. 18. 19. pro Sextio c. 15. Eodem modo *centuriare* et *conſcribere* vſurpatur.

Digitized by Google

CAPVT V.

De remediis aduerſus ambitum, legibusque ad coercendum ambitum latis ante L. Iuliam.

I.

De antiquiſſimis Legibus de ambitu, inprimis Poetelia et Corneliis Baebiis.

Ceterum cum per ſe pernicioſum ſit ambiendo et prenſando magis quam virtute aditum ad honores parari, Romani quoque, vt libertati ſuae proſpicerent, reprimere ambientium immoderatas graſſationes non vna lege tentarunt. Quando vero prima criminis ambitus in vrbe veſtigia deprehendi coeperint, compertum quidem non habemus. Sed tempore conditi Iuris Decemviralis nondum emerſiſſe ambitum, eo palam fit, quia in Legibus XII. Tabularum nulla de ambitu reperitur Sanctio. Nam quae apud CICERONEM [1] leguntur: *Donum ne capiunto, neue danto, neue petenda, neue gerenda, neue geſta poteſtate. Quod quis earum rerum migraſſit, noxiae poena par eſto:* quae ipſe CICERO *Leges de captis pecuniis et de ambitu* [2] vocat, ea non ex antiquo Iure XII Tabularum ſunt repetita, ſed expreſſit probabiliter CICERO ad Legum ea aetate de ambitu latarum argumentum.

Anno

1) De Legibus L. III. 4. 2) De Leg. III. 20.

Digitized by Google

Anno igitur demum V. C. CCCXXI.[3] lata a tribunis plebis eſt lex, quae ad ambitum pertinuit, de albo veſtibus petitionis cauſſa non addendo. LIVIVS[4]: *Placet tollendae ambitionis cauſſa tribunos legem promulgare, ne cui album in veſtimentum addere liceret, petitionis cauſſa. Parua nunc res, et vix ſerio agenda videri poſſit, quae tunc ingenti certamine Patres ac plebem accendit. Vicere tamen tribuni, vt legem perferrent.* De vſu candidarum togarum in petitione magiſtratuum ſuperius mentio facta. Sed non obſeruaſſe Romanos iſtam legem, vel inde ſatis apparet, quod omni deinceps tempore albis veſtibus induti in publico verſati ſunt petitores. Morem quoque antiquis temporibus conſtanter obſeruatum fuiſſe ex Catone narrat PLVTARCHVS[5], vt in ſolis togis absque tunicis peterent candidati, quod tamen recentiori aetate pariter non fuiſſe cuſtoditum, facile inducor, vt credam. Secuta eſt Anno CCCXCV. Lex Poetelia. Nam tum a Tribuno plebis C. Poetelio *auctoribus patribus de ambitu primum ad populum latum eſt: eaque rogatione nouorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas et conciliabula obire ſoliti erant, compreſſam credebant*[6]. Noui homines hic vocan-

 tur

3) PIGHII Annales T. I. p. 179. 4) Lib. IV. c. 25. 5) In Corioſano T. I. p. 220. in Quaeſt. Rom. T. II. p. 276. 6) LIVIVS L. 7. c. 15.

Digitized by Google

tur homines plebeii, qui primi Tribunatum conſulari poteſtate, Magiſterium equitum, Quindecimuiratum ſacrorum, Aedilitatem curulem, et Conſulatum nacti erant. Qui magiſtratus et honores paullo antea, viginti fere annorum ſpatio, communicari primum cum plebe coeperant. Credibile igitur eſt hos nouos homines, quo honores illi in ſuis familiis continuarentur, omnibus modis plebem prenſaſſe. Poſt hanc legem, quae breui exoleviſſe videtur, per diuturnum tempus nulla, vel obſcura ambitus memoria, niſi quod apud Livivm [7] legatur, C. Maenium Dictatorem A. V. C. CCCCXXXIII. edixiſſe: *Coitiones honorum adipiſcendorum cauſſa factas, aduerſus rempublicam eſſe*, quaeſtionemque ea de cauſſa minatum eſſe.. Anno V. C. DLXXII. P. Cornelio, et M. Baebio Cos. promulgatae demum nouae leges ab eorum nominibus *Corneliae Baebiae* appellandae [8]. Livivs [9]: *Et leges de ambitu conſules ex auctoritate Senatus ad populum tulerunt.* Argumentum prorſus ignoratur. Quae enim Sigonivs ex Nonio et Feſto adfert, nihil probant.

7) Lib. IX. c. 26. 8) Corneliam Baebiam Antonivs Avgvstinvs, Pighivs, Hottomannvs et alii. Perperam multi Aemiliam Baebiam vocant, confundentes cum M. Baebio Cn. Baebium, qui cum L. Aemilio Paulo Conſulatum ſuperiori anno geſſerat. Is hoc anno, quo latae ſunt memoratae leges, Proconſul fuit. Livivs loco mox citando.
9) Lib. XL. c. 19.

Digitized by Google

probant. Aliam legem de ambitu latam memorat Epitome Liviana [10], quae circa A. V. C. DXCIV. rogata eſſe videtur. Sed vtrum a Conſulibus, an a Tribuno incertum: Sigonivs tamen, et qui illum ſecuti ſunt in legum indicibus componendis, Corneliam Fuluiam a Conſulibus iſtius anni Cn. Cornelio, M. Fulvio denominant. Pighii quoque mera coniectura eſt [11], Lege hac quaeſtionem de ambitu in publica indicia relatam eſſe ſcribentis.

De Legibus Tabellariis, Maria, Fabia etc.

II. Ipſo harum legum indicio conſtat, quam vehementer iſtis temporibus exarſerit ambitus. Memorat praeterea Ivlivs Obseqvens [12] M. Marcello, P. Sulpitio Conſ. A. V. C. DLXXXVII. Senatum propter comitia ambitioſiſſime facta in Capitolio habitum. Polybivs, illa circiter aetate viuens [13], largitionibus honores redimere, morte expiandum crimen fuiſſe, prodit. Sed quae lex eiusmodi ſupplicium ſanxerit, non indicat. Nec inuenio quo referam Coponium, quem Plinivs [14] ob vini amphoram, illi, cui ſuffragii latio erat,

10) Lib. XLVII. 11) Annal. T. II. p. 415. 12) de Prodigis c. LXXI. 13) Hiſtor. Lib. VI. 54. p. 692. Παρὰ μὲν Καρχηδονίοις δῶρα φανερῶς διδόντες λαμβάνουσι τὰς ἀρχάς. Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις θάνατός ἐστι περὶ τούτου πρόστιμον. *Sed apud Carthaginenſes dona largiter dantes impetrant magiſtratus. Sed apud Romanos idem faciens morte plectitur.* 14) Hiſt. Nat. L. XXXV. c. 46.

erat, donatam, ambitus damnatum eſſe ſcribit. Noua ſequentibus temporibus contra ambitum praeſidia quaeſita ſunt latis legibus Tabellariis, atque imprimis Lege Maria, quam A. V. C. DCXXXIV. C. Marius Tr. Pl. rogauit, quaque inſtituit, vt nemo candidatorum tabellas inſpiceret, aut rogaret appellaretue ciues per pontes in ſuffragiorum latione tranſeuntes. CICERO [15], diſerte contra ambitum eam valuiſſe teſtatur. Non ita multo poſt P. Rutilius [16] et M. Scaurus, petentes Conſulatum, mutuo ſeſe ambitus poſtularunt [17]. Ipſe C. Marius, referente PLVTARCHO, in praeturae petitione ambitus accuſatus eſt [18]. Deinceps A. V. C. DCLXII. Seruilius Caepio reos ambitus Scaurum et Philippum, principes nobilitatis egit [19], teſte FLORO [20]. Quo anno lata ſit Lex *Fabia* de ſectatorum numero, definiri nequit. Senatusconſultum forte ſimilis argumenti factum eſt L. Caeſare Conſule. Vtriusque meminit CICERO [21]. PLVTARCHVS etiam legem citat de nomenclatoribus

in

15) de Legibus Lib. III. 17. 16) A. V. C. DCXXXVIII. ſecundum SIGONIVM. Sed negat PIGHIVS T. III. p. 97. 17) CICERO de Oratore Lib. II. 69. Bruto 30. 18) PLVTARCHVS in eius vita p. 408. 19) Sic puto legendum pro vulgato *elegit*. 20) Lib. III. c. 17. 21) pro Murena c. 34. Poſtquam multa de Sectatoribus praemiſiſſet, inquit: *Itaque et Legi Fabiae, quae eſt de numero Sectatorum, et S. C. quod L. Caeſare conſule factum, reſtiterant.*

Digitized by Google

in petitione non adhibendis [22]. Sed certe nomenclatores aperte adhibitos innumera exempla docent.

III. Quum poſt reſtitutam a Pompeio tribunis, quam Sylla inciderat, poteſtatem, ambitus maxima incrementa caperet, atque in omnium magiſtratuum petitione coitiones et conſpirationes orirentur [23], C. Cornelius Tr. Pl. ſeueriſſimam de ambitu legem promulgare intendebat, cuius caput futurum erat, vt *diuiſores* punirentur; quod praeſertim populus flagitabat [24]. At Senatus metuens, ne, ſi tam graues poenae ſtatuerentur, et homines ab accuſando, et iudices a condemnando deterrerentur, iuſſit Conſules anni V. C. DCLXXXVI. L. Calpurnium et M. Acilium legem ferre, quae, praeter mulctam, excluſionem a magiſtratibus, et Senatu, minabatur ambitus damnatis. Vterque Conſul ambitus infamia laborabat [25]. Sed aegre admodum perlata lex, diuiſoribus, qui magno numero aderant, vi reſiſtentibus [26]. Praeter poenas in criminis reos etiam praemia accuſatoribus propoſita hac lege fuiſſe videntur [27]. De Lege Calpurnia.

Senſere

22) PLVTARCHVS in Catone p. 763. 23) DIO CASSIVS p. m. 21. CICERO ipſe de Legibus Lib. III. c. 9. Pompeii factum reprehendit. 24) CICERO pro Cornelio p. m. 431. 25) DIO CASSIVS loco citato. 26) ASCONIVS PAEDIANVS ad Cic. pro Cornelio p. 430. 27) DIO CASSIVS loco citato. CICERO pro Cluentio c. 36. P. MANVTIVS de Legibus L. I. p. m. 196. 197.

Senſere vim eius P. Autronius Paetus, et P. Cornelius Sylla, Conſules deſignati [28]. Cicero Senatusconſultum inſuper Legi Calpurniae additum commemorat [29]. Alio autem SCto legi derogatum eſſe creditur [30].

De Lege Tullia.

IV. Vbi ergo per largitiones, vim, et factiones honores impetrabantur, et plebs magiſtratuum nundinationes, vt Plvtarchi verbis vtar, *ſicut opificium* exercebat, minime mirum eſt, accuſationes de ambitu tam frequentes memorari, totque contra ambitum intra paucos annos latas eſſe leges. A. V. C. DCLXXXIX. quum C. Antonius, et Catilina cum Cicerone peterent conſulatum, tantus fuit ambitus priorum, vt Senatus cenſeret legi Calpurniae nouam legem adiicere poenasque intendere. Sed res per interceſſionem Q. Mutii Oreſtini Tr. Pl. impedita [31]. Sequenti anno Cicero Conſul creatus nouam legem de ambitu tulit, ſeueriorem Calpurnia cum

28) Asconivs in Orat. in toga candida p. 433. Sallvstivs in Catilin. c. 18. conf. Fabricivs in vita Ciceronis. 29) pro Murena c. 32. *Dixiſti Senatusconſultum me referente eſſe factum, ſi mercede corrupti obuiam candidatis iſſent, ſi conducti ſectarentur, ſi gladiatoribus vulgo locus tributim, et item prandia, ſi vulgo eſſent data, contra Legem Calpurniam factum videri.* 30) Asconivs in fragmento ad Orat. pro Cornelio p. 430. *Tertium eſt de legum abrogationibus, quo de genere ſaepe Senatusconſulta fiunt, vt nuper de ipſa lege Calpurnia, quae derogaretur.* 31) Asconivs in argumento Orat. Cicer. in toga candida.

Digitized by Google

cum poena exilii in decem annos [32]. Hac etiam lege Tullia ignominia irrogata eſſe videtur, quod colligo ex CICERONE de Legibus [33]; atque recte hoc cohaeret cum exilii poena, quia ignominiam vitaturi in exilium ibant CICERONE teſte [34]. Eodem anno, quo Cicero Conſul legem propoſuit, ambitus a Catone accuſabatur Murena, cum Silano Conſul in ſequentem annum deſignatus [35]. Mentio in PLVTARCHO, qui rem narrat, fit legis, qua reus accuſatori cuſtodem ponere poterat, ne quid clam compararet ad accuſationem. Sed abſolutus eſt Murena Cicerone defendente. Alius legis de ambitu, in Conſulatu Ciceronis propoſitae, a L. Caecilio Metello Tr. Pl. meminit CICERO pro Sylla [36]. Corrigere ea lege ſuperiores leges, atque poenarum in ambitum conſtitutarum acerbitatem mitigare ſtudebat Caecilius in gratiam fratris P. Syllae, qui cum Autronio ex Lege Calpurnia condemnatus erat, intendebatque, vt ſententia in fratrem dicta reſcinderetur. Sed deſtitit Caecilius ab eius rogatione, permotus Ciceronis aliorumque autoritate. Quum deinceps in co-

F mitiis

32) PIGHIVS T. III. p. 320. MIDDLETONVS in vita Ciceron. T. I. p. 167. 168. aliique. 33) Lib. III. c. 20. 34) pro Caecinna c. 34. 35) PLVTARCHVS in Catone p. 769. 36) c. 22. 23. PIGHIVS Annal. T. III. p. 323.

mitiis conſularibus A.V.C. DCLXXXXII. quibus Afranius et Metellus Conſules renunciabantur, Afranius in hortis ſuis pecuniam diuiſiſſe, et Piſo Conſul in domo ſua diuiſores habuiſſe arguerentur, facta ſunt duo SCta; vnum, *vt apud magiſtratus inquiri liceret:* alterum, *cuius domi diuiſores habitarent, aduerſus Rempublicam eſſe.* Proxime eodem anno Aufidius Lurco Tr. Pl. promulgavit legem de ambitu, in qua id noui fuit, *vt qui nummos in tribu pronunciauit, ſi non dederit, impune ſit: ſin dederit, vt quoad viuat, ſingulis tribubus tria millia Seſt. debeat* [37].

De Lege Licinia. V. Nimia diligentia videri poſſit, ſi omnem accuſationum de ambitu memoriam repetere inſtituerem, quum eo ſeculo nemo fere ambitus reus non eſſet, totque exiſterent accuſationes, quot repulſae eorum, qui a competitoribus victi erant. CORNELIVS NEPOS [38] de Attico memoriae prodidit, eum honores non petiiſſe, *quod neque peti more maiorum, neque capi poſſent conſeruatis legibus, in tam effuſis ambitus largitionibus, neque retineri ſine periculo corruptis ciuitatis moribus.* Sane, quum Caeſar peteret Conſulatum, res eo deuenit, vt non ipſe modo et Lucceius eius competitor per centurias nummos pronunciarent, ſed et Bibulus alter candidatus, ex Sena-

37) CICERO ad Atticum L. I. ep. 16. 38) In vita eius c. 6.

Senatus voluntate tantundem polliceretur, ipſo Catone non abnuente, illam largitionem e republica fieri [39]. Cato quidem cupiens [40] letalem hunc reipublicae ambitum radicitus exſcindere, ſuaſit in Senatu, vt lex ferretur, vt deſignati magiſtratus, ſi nullum haberent accuſatorem, ipſi cogerentur iudicio iurato ſe offerre, atque ibi rationem reddere comparati magiſtratus. Sed irritus fuit conatus. Interea A. V. C. DCLXXXXVIII. Pompeio II. et Craſſo II. Cos. quorum vterque per manifeſtas largitiones conſulatum inuaſerat, lata eſt Lex Licinia ſeuera ſatis de *Sodalitiis*, in qua omnes ambitus leges comprehenſae [41]. Solebant collegiorum ac ſodalitatum opera, quod illae plerumque ex pecunioſis, et auctoritate pollentibus viris compoſitae erant, recte vti in petitione candidati, vti ex Q. Cicerone patet [42]. Quando vero conſpirationes cum illis, de corrumpendis per pecuniam, aut, epulas ciuibus fiebant, crimen erat, quod ſodalitium vocatum [43]. Haec ſodalitia vetabat Lex Licinia, in qua id praeterea ſtatutum, vt accuſatori iudices edere liceret, qui inde *edititii* vocati ſunt. Eodem anno

 factum

39) Sveton. in Caeſare c. 19. 40) Plvtarchvs in Catone p. 740. 41) Cicero pro Plancio c. 15. 42) de petit. Conſ. c. 5. 43) v. Svetonivm in Auguſto c. 32. et Asconivm Paedianvm in Orat. pro Cornel. p. 431.

factum eſt SCtum Afranio vrgente, vt Praetores recens electi ambitus ne poſtularentur; cui Senatus hanc exceptionem adiecit, vt per LX. dies priuati eſſent electi praetores [44]. Memorabilis eſt pactio inter candidatos illo ipſo anno facta, pecuniam apud Catonem deponendi, quam is amitteret, qui largitionibus plebem corruperit [45]. Sequenti anno tantus denuo exarſit ambitus, quantus nunquam antea. Nihil impudentius illa conventione inter Conſules Domitium, et Claudium Pulcrum, atque inter candidatos Cn. Domitium, et Memmium tum inita [46]. Sed omnia iudicia tam corrupta, vt nullus fere, qui in ius vocatus erat, condemnaretur [47].

De Lege Pompeia.

VI. Omnem tamen priorum temporum ambitum ſuperarunt molitiones et turbae candidatorum, qui in annum DCCI. conſulatum petebant. Tres enim candidati T. Annius Milo, P. Plautius Hypſaeus, et A. Metellus Scipio ingenti armatorum copia ſtipati, tribus quaſi caſtris vrbem obſidebant; perpetrabanturque facinora grauiſſima [48]. Non melius igitur conſilium viſum eſt, quo his malis reſiſti poſſet, quam vt Pompeio vni

44) Cicero ad Q. fratrem Lib. II. ep 9. 45) Plvtarchvs in Caton. p. 781. 46) Cicero ad Attic. Lib. IV. ep. 15. 16. 18. ad Quint. fratrem Lib. II. ep. 15. Lib. III. ep. 2. 47) Cicero ad Quint. fratrem Lib. II. ep. 2. 3. 4. 48) Pighivs Annal. T. III. p. 410.

vni respublica committeretur. Creatus ergo Conſul ſine collega, nouam legem ſeueriſſimam de ambitu tulit, cuius argumentum DIO CASSIVS[49] et ASCONIVS PAEDIANVS[50] reliquerunt. Praeſtituit illa poenam grauiorem, et formam iudiciorum breuiorem. Capita haec fuere: *Vt iudices ex iis, quos ipſe legerat, ſorte ſummerentur: vt certus numerus aduocatorum eſſet: vt triduo teſtes darentur, quarto die peroraretur, haberetque accuſator ad dicendum duas horas, tres reus: vt nemo laudaret reum.* Praeterea accuſatores inſtituit; et ipſis iis, qui ante ambitus damnati fuerant, ſi accuſare alios vellent, magnum delationis praemium propoſitum eſt, vt nimirum, quicumque vel duos eodem de crimine, aut minori, ob quod ipſe damnatus erat, reos peregiſſet, vel vnum maioris criminis conuiciſſet, is impunitatem delicti ſui haberet, et priſtinam recuperaret dignitatem[51]. Multos igitur ad accuſandum excitarunt propoſitae conditiones. Modum tamen iudiciorum ex hac lege habitorum Caeſar reprehendit, *iudicia, aliis audientibus iudicibus, aliis ſententiam ferentibus, ſingulis diebus perfecta eſſe* ſcribens[52].

 Verum

49) Lib. XL. p. m. 162. 50) In argum. Orat. pro Milone. 51) DIO CASSIVS citato loco. APPIANVS de Bell. Ciuil. L. II. 442. QVINTILIANVS Inſtitut. Orat. Lib. II. c. 1. 52) de Bello Ciuili Lib. III. cap. 1.

Verum ipſe Pompeius non tam ſtudioſus obſeruator, quam grauis auctor legis fuit. Namque ex accuſatis Scipionem non modo iudicio exemit [53], ſed etiam Conſulem adſciuit, et Plancum Tr. Pl. laudare in defenſione non erubuit. Quare Cato, qui inter iudices erat, obſtruens aurem, negauit, ſe illam laudationem honeſte audire [54] poſſe. Septennio abhinc Iulius Caeſar vrbe potitus, plurimos ex Lege Pompeii damnatos in integrum reſtituit, vt auctores ſunt ipſe CAESAR [55] et CICERO [56]. Nec ab illo tempore legem vllam de ambitu reperio, quae Iuliam Conſtitutionem anteceſſerit [57], licet ambitum nihilo minorem fuiſſe conſtet.

CAPVT VI.

De latione Legis Iuliae de Ambitu.

I.

Ingens ambitus ſub Auguſto.

Per haſce ambitus procellas, ob quas vnius humeris imponi rempublicam neceſſe fuit, ad Auguſtaeum principatum prouecti, Imperatorem Auguſtum inter primas

53) MIDDLETONVS hiſt. vitae Cic. T. I. p. 546. 54) PLVTARCHVS in Pompeio p. 649. 55) de Bello Ciuili Lib. III. c. I. 56) ad Atticum Lib. X. ep. 4. add. SVETONIVM in Caeſ. c. 41. 57) Quae SIGONIVS de Lege Iulia Caeſaris affert, fide deſtituuntur.

Digitized by Google

mas curas, quibus perculſum vndique ac perturbatum Imperii corpus ordinauit, de ambitu fortioribus frenis compeſcendo ſollicitum offendimus. Subſtiterat paulisper ambitus, tum quia in bellis continuis ciuilibus magiſtratus non ordinatim creabantur, ſed plerumque ab iis, qui armis pollebant, conſtituebantur; tum quia Caeſar Comitiorum ius plebi ex parte abſtulerat, ſibi ſoli Conſulatus competitores excipiens, ac de cetero numero candidatorum pro parte ſaltim dimidia, quos populus vellet, ipſi pronuntiandos permittens [1]; quo fiebat, vt plerumque ſine contentione deſignarentur. At poſtquam Auguſtus, pacata republica, comitia plebi reſtituit, magiſtratuumque creationem (contra conſilium quidem Maecenatis) [2] reddidit, prohibere non potuit, quantumuis id curans vnice; ne qui per coitiones deſignarentur, quin reuiuiſceret [3], ac denuo ſerperet ambitus. A. V. C. DCCXXXII. quum Auguſtus in Siciliam et Graeciam ordinandarum prouinciarum cauſſa profectus

1) SVETONIVS in Caeſare c. 41. 2) In oratione ad Auguſtum de retinenda ſumma poteſtate apud DIONEM Lib. III. num. 323. pag. 546. *Αὐτὸς μέντοι σὺ πάντας αὐτοὺς αἱρεῖ καὶ μήτε ἐπὶ τῷ πλήθει, ἢ καὶ τῷ δήμῳ ἔτι τινὰ αὐτῶν, ποιήσεις· στασιάσουσι γάρ· μήτε ἐπὶ τῷ συνεδρίῳ, διασπουδάσονται γάρ. Eos antem tu ipſe* (ad magiſtratus) *euehes, neque plebi, neque populo quenquam eorum creare permittes; diſſidia enim erunt; neque Senatui, namque per ambitum petentur.* 3) DIO CASSIVS Lib. LIII. n. 346. p. 585.

fectus eſſet, per abſentiam eius ingentes in conſulum creatione ſeditiones ac turbae ortae ſunt, quas fuſe deſcribit DIO CASSIVS[4]. [5]Eodem anno excitati propter Praefectum vrbis feriarum Latinarum ergo conſtituendum tumultus quum componi nequirent, annus ſine illo magiſtratu decurrit. A. DCCXXXIV. par ambitus fuit; factaeque caedes, ac alia crimina commiſſa ſunt plurima

Coercetur duabus conſtitutionibus.

II. Quas turbas vt ſedaret Auguſtus, Romam confeſtim reuertens[5] ſequente Anno V. C. DCCXXXV.[6] duobus Corneliis Conſulibus ſanxit, DIONE commemorante[7], *vt qui largitionibus magiſtratum ſibi pararint, quinquennio ab eo arceantur.* Idem tradit SVETONIVS[8]: *Leges retractauit, et quasdam ex integro ſanxit, vt ſumptuariam, et de adulteriis, et de pudicitia; de ambitu, de maritandis ordinibus.* Neque hic quieuit Auguſti prouidentia, ſed decennio poſt C. Marcio Cenſorino, et C. Aſinio Gallo Cos. quum Conſules et reliqui magiſtratus culparentur, quod largitionibus eas ſibi dignitates adquiſi-

4) L. LIV. n. 346. p. 600. adde PIGHIVM T. III. Annal. pag. 515. 5) DIO CASSIVS Lib. LIIII. n. 358. p. 603. 6) Alii anno priori adſcribunt: quae diuerſitas e varia annos numerandi ratione oritur. Nos Pighii ordinem vbique ſeruauimus, quem etiam retinuit recentiſſimus Faſtorum conditor V. C. IOSEPHVS MARIA STAMPA in MVRATORII Theſauro Inſcript. T. I. 7) L. LIIII. n. 361. p. 608. 8) In Auguſto c. 34.

Digitized by Google

quiſiuiſſent, nullam inquiſitionem inſtituit, et totam rem diſſimulauit; quia neque punire tam potentes ciues, neque manifeſto veniam criminis vlli dare conſultum duxerat; ſed pignora ab iis, qui petituri eſſent magiſtratum, accepit, quae, qui largitiones feciſſent, amitterent. Quod eius factum ab omnibus laudatum eſſe legimus [9]. Rem quoque tangit SVETONIVS ſcribens [10]: *Eum multiplici poena coercito ambitu, Fabianis et Scaptienſibus tribulibus ſuis, die comitiorum, ne quid a quoquam candidato deſiderarent, ſingula millia nummum a ſe diuiſiſſe.* Binas igitur Auguſti de ambitu conſtitutiones in publicum emanaſſe animaduertimus; quas reſpexit Paetus Thraſea, dum in oratione in Senatu habita haec addidit: *Vſu probatum eſt P. C. leges egregias, exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Iulias Leges, magiſtratuum auaritia Calpurnia Scita, pepererunt* [11]. Sed vtraque vno Legis Iuliae nomine comprehendi ſolet. Illud praeterea extra dubitationem poſitum videtur, fuiſſe hanc legem ex earum numero, quas de integro tulit

G Augu-

9) DIO CASSIVS Lib. LV. n. 374. p. 631. ZONARAS Annal. L. X. c. 35. 36. 10) In Auguſto c. 40. 11) TACITVS Annal. L. XV. cap. 20.

Digitized by Google

Auguſtus, nec illam tantum ad priorum confirmationem valuiſſe, aut ſaltim fuiſſe legem Pompeiam reformatam, a nomine eius Iuliam vocatam; vt arbitratus eſt Gvido Pancirollvs [12].

Loca, in quibus Legis Iuliae mentio fit.

III. Memoria huius legis conſeruata eſt in antiquis iuris libris: in Inſtitutionibus §. 11. *de Publ. Iudic. Sunt praeterea iudicia publica, Lex Iulia de ambitu;* quae ſic interpretatur Theophilvs in paraphraſi Inſtitutionum Lib. IV. T. 18. §. 11. Εἰσὶ καὶ ἕτεροι πούβλικοι νόμοι, ὁ Ἰούλιος, ὁ de ambitu, ἁρμόζων, κατὰ τῶν χρήματα δόντων τισὶν ἐπὶ τῷ τυχεῖν αὐτοὺς ἀρχῆς, ἤγουν τινὸς τιμῆς. *Sunt et alia publica iudicia, veluti Lex Iulia de ambitu, quae aduerſus eos competit, qui pecuniam aliquibus dederint, vt magiſtratum aliquem, vel honorem conſequerentur.* Praeiuit Inſtitutionum conditoribus Macer, inter iudicia, quae ex legibus publicorum iudiciorum veniunt, legem Iuliam de ambitu recenſens L. 1. D. *de Public. Iudiciis.* Extant praeterea in Pandectis, pariter atque in vtroque Codice Iuſtinianeo et Theodoſiano [13], integri tituli ad legem Iuliam de ambitu, qui inde [14] in Baſilica translati ſunt.

12) L. II. Theſ. var. lect. c. 135. 13) L. IX. T. 26. mentio quoque occurrit Legis Iuliae de Ambitu in l. 4. ad Leg. Corneliam de falſ. Cod. Th. L. IX. T. 19. 14) Libro LX. Ecl. 46.

Digitized by Google

ſunt. Ex Ivlii Pavli [15] quoque Sententiis receptis conſeruatus eſt titulus *ad Legem Iuliam Ambitus.* Denique in Glossis Ivris [16] poſt alia haud contemnenda de ambitu, legitur; Ἔϛι δὲ νόμος Ἰέλιος πέβλικος παρὰ πάντων κινέμενος δημοτικῷ δικαίῳ; *Eſt vero Lex Iulia publica, ex qua omnes experiuntur iudicio publico.*

CAPVT VII.

De Capitibus et Duratione Legis Iuliae.

I.

Iam capita Legis Iuliae, quorum aliqua notitia ſupereſt, videamus, et Senatusconſultum ad Legis Iuliae ſententiam factum; nec non Legis Iudiciariae caput, quod ad eandem Legem de ambitu retulit L. vn. D. §. 4. *ad Leg. Iul. de ambitu;* tum et poenas in ambitum ſtatutas, et durationem Legis atque obſeruantiam. Finis Legis Iuliae erat, vt crimen ambitus coerceretur, quod quibus modis committi potuerit, c. IV. expoſuimus. Argumentum et finis Legis Iuliae.

 Ivlivs

15) L. V. Tit. 30. in Schvltingii Iurisprud. Anteiuſt. pag. 527.
16) Ed. Labbaei p. 89. et Ed. Schvltingii in Tomo III. Theſ. Iur. Cel. Ottonis p. 1712.

IVLIVS PAVLVS [1] *ad Legem Iuliam Ambitus*, illum criminis ambitus reum eſſe ſcribit, *qui petiturus magiſtratum, vel prouinciae Sacerdotium, turbam ſuffragiorum cauſſa conduxerit, ſeruos aduocauerit, aliamue quam multitudinem conduxerit.* Non igitur omnem petitionem, ſed ſaltim illam Legi contrariam prohibuit Lex Iulia; quod vix monere neceſſe putaſſem, niſi meminiſſem, operoſe idem olim probandum ſuſcepiſſe VERTRANIVM MAVRVM [2].

Capita Legis Iuliae.

II. E capitibus Legis Iuliae, quorum fortaſſis haud pauca numero fuere, tria mihi videor eruiſſe. Primum eſt [3]: *Vt illi, qui largitionibus magiſtratus ambiiſſent, quinquennium ab iis arceantur;* quo ipſo mitigata eſt Legis Calpurniae ſanctio, quae ambitus conuictis, Senatui et honoribus in perpetuum interdicebat. Obſeruat IACOBVS GOTHOFREDVS [4], apud SIDONIVM APOLLINAREM [5] in epiſtola ad Philimachium, cuius initium eſt: *I nunc, et Legibus ambitus me interrogatum Senatu moue*, reſpici ad hoc Legis Iuliae caput; quod non improbabile videtur. Cauſſam vero, cur tam leni coercitio-

1) Recep. Sent. L. V. T. 30. p. 527. 2) de iure Liberorum c. 37. in Theſ. Iur. Ciuil. OTTON. T. III. p. 1061. 3) DIO CASSIVS Lib. LIV. p. 608. 4) ad L. I. Cod. Theodoſ. ad Legem Iuliam de Ambitu. 5) L. I. ep. 3.

Digitized by Google

ercitione compeſcuerit ambitum Auguſtus partim in miti Auguſti ingenio poſitam iudicio, partim in eo, quod ipſe vnus indulgendo, vt veteri ritu magiſtratus a plebe crearentur, veterem quoque petitionum rationem haud obſcure fouit. Quam ob rem etiam, ne candidati largiri pecuniam, quam in petitionibus accipere a multo inde tempore conſueuerat plebs, neceſſe haberent, de ſuo tribulibus ſuis ſingula millia nummum diuidi curavit. Alterum caput ſimiliter e DIONE[6] innotuit; *Vt qui petituri eſſent magiſtratum, certam pecuniae ſummam, pignoris loco, antea darent, quam amitterent, ſi in petendo denuo quicquam largiti fuiſſent.* Secutus eſt Auguſtus in hac re conſilium, quod iam olim ſalutare viſum fuerat; quum nimirum apud Catonem pecuniae ſummam ante petitionem deponerent competitores, ea conditione, vt illa privaretur, qui poſtea pecuniam diuiſiſſe conuictus fuiſſet. Paullo diuerſam ab hac, candidatorum largitiones inhibendi rationem iniit Traianus [7], ſtatuendo, vt candidati tertiam partem patrimonii in ea, quae ſolo continebantur, hoc eſt, in poſſeſſiones Italicas conferrent, ne tanta ipſis argenti vis relinqueretur. Tertium caput e MODESTINI libro de poenis in Digeſta transſcriptum eſt:

6) L. LV. n. 375. p. 631. 7) PLINIVS Ep. L. VI. 19.

l. vn. D. §. 2. *ad Leg. Iul. de amb. Vt illa lege damnatus ſi alium conuicerit, in integrum reſtituatur, non tamen pecuniam recipiat.* Fuerat idem Legibus Calpurnia et Pompeia propoſitum accuſatoribus praemium [8], vt c. V. oſtendimus. Hinc QVINCTILIANVS [9]: *Et ambitus quidam damnati, recuperandae dignitatis gratia, reos eiusdem criminis detulerunt.*

De Senatusconſulto ad Leg. Iul. facto.

III. Senatusconſulti ad Legem Iuliam meminit MODESTINVS. Sed quando factum ſit, vel ad cuius relationem, non conſtat. Spectauit ad municipia, vt liquet ex Modeſtini fragmento, inſeruiitque haud dubie municipiorum ſtatui ordinando. Duarum eius partium ad nos peruenit memoria. Alia enim diſpoſitio in illo erat de magiſtratuum et ſacerdotiorum prouincialium petitione inſtituenda. MODESTINVS l. vn. D. §. 1. *ad Leg. Iul. de amb. Quod ſi in municipio, contra hanc legem, magiſtratum aut ſacerdotium quis petierit, per Senatusconſultum, centum aureis cum infamia punitur.* Et IVLIVS PAVLVS [10]: *Petiturus magiſtratum vel prouinciae ſacerdotium, ſi turbam ſuffragiorum cauſſa conduxerit, ſeruos aduocauerit, aliamue quam multitudinem conduxerit, conuictus, vt vis publicae reus, in inſulam deportatur.* Quae tamen poſteriora Pauli verba ſi quis ex ipſa

Lege

8) Egit de hoc delationis ex L. Iulia praemio CVIACIVS L. VII. Obſeru. c. 28. 9) Inſtitut. Orat. L. II. c. 1. 10) Recep. Sent. loco excitato,

Digitized by Google

Lege Iulia deſumta eſſe vrgeat, non multum aduerſabor, ſed propter ſimilitudinem ſententiae, qua cum Senatusconſulti placito conuenit, ad Senatusconſultum retuli: Mirum autem videri poſſit, cur turbarum excitatio, ſeruorum multitudinisque conglobatio, quae proprie ad vim publicam ſpectant, vt patet ex MARCIANO l. 3. D. *ad Leg. Iul. de vi*, VLPIANO l. 10. §. 1. eod. et IVL. PAVLO [11], ambitus criminibus accenſeantur. Sed coniunctum vt plurimum erat vtrumque crimen, nihilque accidebat frequentius, quam vt in ambitu committeretur vis publica. Quare in legibus contra ambitum latis non potuit non hoc crimen ſimul comprehendi. In verbis vero Pauli, quae forte ex Senatusconſulto ſunt, nominatim coercetur illa vis publicae ſpecies, quae *ſuffragiorum cauſſa excitatur, deportationisque poena irrogatur, vt vis publicae reo.* Nam reapſe ſimul vis publicae reus erat, qui in petitione multitudinem iuſto maiorem conduxerat. Quare falli opinor PAGANINVM GAVDENTIVM [12], qui verba Pauli non ad L. Iuliam de ambitu, ſed ad alteram, quae eſt de vi publica, referri debere contendit. Alia Senatusconſulti parte prohibetur nouorum vectigalium in munici-

piis

11) Recept. Sent. L. V. T. 26.

12) Iurid. Expoſ. L. I. c. 33. in OTTONIS Theſ. T. III. p. 637.

piis inſtitutio. Modestinvs l. cit. §. 3. *Item is, qui nouum vectigal inſtituerit, ex SCto hac poena plectitur.* Erat id alias Lege Iulia de vi publica interdictum, vt Pavlvs l. 12. D. *ad Leg. Iul. de vi publ.* ait: *Qui noua vectigalia exercent, Lege Iulia de vi publica tenentur.* Ex quo vtique, quam affinia ſint crimina ambitus, et vis publicae, apparet.

De capite Legis Iudiciariae, quo in Legem ambitus committebatur.

IV. Fuiſſe quoque Legis Iudiciariae caput, quo poena in ambitum ſtatuta transferebatur ad iudicum corruptores, diſcimus ex L. vn. D. *ad Leg. Iul. de ambitu* §. 4. *Et ſi quis reus, vel accuſator domum iudicis ingrediatur, per Leg. Iuliam Iudiciariam in Legem Ambitus committit, id eſt aureorum centum Fiſco inferre iubetur. Dubitat* Hoffmannvs [13] num verba vltima, *id eſt aureorum centum Fiſco inferre iubetur* Modeſtinus addiderit, et negat eadem ex Lege Iulia Iudiciaria eſſe, quia nimirum poena centum aureorum eſſet ex Senatusconſulto Legi Iuliae de Ambitu adiecto. Quod in medio relinquimus. Hoc Cap. Legis Iudiciariae bene illuſtrauit Cviacivs [14]. Ad illud procul dubio reſpicitur in Glossis Nomicis [15], quae

13) Hiſtor. Iuris Part. I. pag. 150. vbi, et praecedenti pagina capita Legum Iudiciariarum exhibet. 14) Obſeruat. L. VI. c. 34. 15) In voce Ἄμβιτος. conferri merentur Roeveri Emendat. ad Gloss. Nomic. pag. 55.

quae ambitum *φθορὰν κρίσεως καὶ τοῦ δικαίου* interpretantur, et actionem eſſe dicunt, quae contra iuſti et iudicum corruptores inſtituitur. Plura ex L. Iulia de ambitu hodie non extant. Coniicit quidem BRENCMANNVS [16] illam alia ad materiam de teſtibus et accuſationibus pertinentia complexam fuiſſe, quia apud PLINIVM [17] legitur, *accuſatoribus inquirendi, teſtibusque denuntiandi poteſtatem ex lege de ambitu comperiiſſe.* Quamobrem etiam in verbis Papiniani L. 13. D. de Teſtibus *pro lege peculatus, Legem ambitus* ſubſtituere ſuadet. Sed dubium eſt, vtrum de Lege Iulia ſermo ſit apud Plinium, an de alia lege contra ambitum lata, fortaſſis Traiani: Nam Traianum contra ambitum legem propoſuiſſe narrat PLINIVS [18].

V. Poena Legis Iuliae de ambitu fuiſſe videtur *deportatio.* Impp. ARCADIVS et HONORIVS L. vnic. Cod. ad Leg. Iul. de ambitu: *Qui contra fecerint, poenam deportationis, ad inſtar Legis Iuliae ambitus excipiant;* qua poena ab Auguſto primum introducta, vt aliorum criminum, ita maxime vis publicae rei afficiebantur, quod luculenter indicant verba PAVLI ſuperiori

De Poenis Legis Iuliae.

H

16) De Lege Remmia c. 12. 17) Lib. VI. epiſt. 5. 18) Lib. VI. epiſt. 19.

Digitized by Google

riori *ſpbo* excitata. Nec improbabile puto, in illo ſaltim ambitu, in quo ſimul vis publica fiebat, deportationis ſupplicium infligi conſueuiſſe. Reliqua ambitus crimina coercebantur vel interdictione a magiſtratibus, et Senatu in quinquennium, vel poena pecuniaria. Nam diſerte tradit D I O, vt ſupra retuli, candidatos pecuniam deponere debuiſſe, quam amitterent, ſi illicitis artibus in ambiendo vſi fuiſſent. Introducta deinceps SCto L. vn. D. *ad Leg. Iul. de ambitu* §. 1. 4. eſſe videtur poena centum aureorum Fiſco pendendorum cum infamia, quod, ex quo L. Iulia in vrbe ceſſabat, tamen in municipiis ſeruabatur. Teſtantur GLOSSAE NOMICAE[19] in ambitum irrogatam eſſe poenam non capitalem, ſed centum aureorum cum amiſſione dignitatis. Infamiam vero irrogat ſententia ex iudicii publici cauſſa, l. 7. D. *de Publ. Iudic.* cuiusmodi eſt cauſſa ambitus, l. 1. D. *ibidem.* Illi aurei centum, cum Fiſco numerati eſſent, non reddebantur etiamſi, quod ex lege fieri poterat, damnatus in integrum reſtitueretur. Nam, vt ait V L P I A N V S Libro LXVIII. ad Edictum, l. 42. D. *de condictione indebiti : Poenae non ſolent repeti,*

19) Voce Ἄμβητος.

peti, cum depenſae ſunt. Pluribus idem probauit CVIACIVS[20].

VI. Tiberius Imperator in Epiſtola quadam ad Senatum de luxu coercendo[21]: *Tot a maioribus*, ait, *repertae Leges, tot, quas diuus Auguſtus tulit, illae obliuione, hae, quod flagitioſius eſt, contemtu abolitae.* Haut felicior ſors manſit Legem Iuliam de ambitu. Nam de ea MODESTINVS in princ. L. vn. D. *ad Leg. Iul. de ambitu: Haec Lex in vrbe hodie ceſſat, quia ad curam principis magiſtratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem.* Non Modeſtini demum aeuo, qui ſub Alexandro Seuero floruit, obſeruari deſiit Lex Iulia, ſed multo ante, ex quo nimirum magiſtratuum creationem ad ſe traxerunt principes. Cum enim Tiberius ademta populo comitia in curiam tranſtuliſſet, ab illo inde tempore ſine repulſa et ambitu deſignabantur, quos commendabat, candidati. Nec igitur, vbi prenſationes priſtinae ceſſabant, opus amplius erat Legibus de ambitu olim latis. Ac quanquam ſub inſequentibus Imperatoribus, quorum aliqui populum libertatis imagine ludentes ipſi comitiorum ius ex parte reſtituebant, ambitus memoria

Quamdiu durauerit Legis Iuliae obſeruantia.

H 2 recur-

20) Obſeruat. L. VIII. c. 39. 21) TACITVS Annal. L. III. c. 54.

recurrit, nec non conſtitutiones quaedam de ambitu emiſſae leguntur ſuperioribus rogationibus conformes, cuiusmodi fuit illa Traiani Lex [22], qua ſumtus candidatorum foedos et infames reſtrinxit; non tamen eſt, vt priſcarum Legum auctoritatem adhuc illo tempore viguiſſe, inde inferamus. Poſteaquam igitur in vrbe exoleuerat Lex ipſa Iulia, in municipiis, in quibus inſtituendorum magiſtratuum ac ſacerdotiorum ius apud plebem remanſit, retenta aliquamdiu eſt Legis obſervantia ad reprimendum municipalium magiſtratuum ambitum. Quibus, ſi contra legem honores ambiiſſent, Senatusconſultum ad legem factum poenam centum aureorum irrogabat. Neque tamen exiſtimandum eſt, erepta plebi ſuffragiorum nundinatione, largitionibus aliisque corruptionibus ad conſequendos honores locum amplius nullum fuiſſe. Quin potius ſuccedente tempore omnes fere dignitates pecunia redimebantur, amicis Imperatorum, libertis ac eunuchis, palam poteſtates vendentibus, ſuaque ſuffragia et in commendandis apud principem candidatis operam pretio addicentibus. De quo ambitus genere multis egerunt MENTETVS

KETT-

22) PLINIVS Epiſt. L. VI. ep. 19.

Digitized by Google

Kettwig [23], Ez. Spanhemivs [24], et Iac. Gothofredvs [25]. Variae igitur ab Imperatoribus tam foeda honorum commercia dignitatumque venditiones indecoras peroſis, contra ambitum illum conſtitutiones publicari coepere, vt erudite oſtendit laudatus Gothofredvs. Quas inter maxime memorabiles ſunt illa Arcadii et Honorii conſtitutio L. 1. Cod. Theodoſ. *ad Leg. Iul. de ambit.* qua deportationis exſilium, bonorumque Fiſco inferendorum poena irrogatur iis, qui Palatii illuſtrem dignitatem ambierint; atque illa Theodoſii et Valentiniani, in L. 6. Cod. *ad Legem Iuliam Repetundarum*, qua praecipitur, vt Prouinciarum Rectores iureiurando fidem faciant, ſe pro ſuffragiis nihil dediſſe, nec impoſterum daturos eſſe; ac denique Nouella Iuſtiniani VIII. c. 7. qua ea fere repetuntur, ac confirmantur, quae in Theodoſii Lege ſancita erant. Nihil vero de ambitu proprie diſponunt conſtitutiones in vtroque Codice Iuſtinianeo et Theodoſiano ſub rubrica Legis Iuliae de ambitu relatae, ſed continentur in iis prohibitiones de non repetendis

 qui

23) De Ambitu antiquo et hodierno Parte I. p. 85. 24) Orbe Rom. c. 20.
25) In Tit. Cod. Theodoſ. ad Leg. Iul. de Ambitu L. IX. Tit. 26.

Digitized by Google

qui iam geſti fuerant, honoribus, ſub poena deportationis et confiſcandorum omnium bonorum, L. 2. 3. 4. Cod. Theodoſ. *ad Leg. Iul. de ambit.* et L. vnic Cod. Iuſtin. *eod. Tit.* Atque haec quidem hactenus. Quae recentiori aeuo in pluribus regnis et ciuitatibus aduerſus prauas ambientium artes ſalubriter ſtatuta ſunt [26], conſulto hic praeterimus. Omnem autem ciuitatem felicem merito praedicamus, in qua vſu veniunt, quae Romae quondam Poeta vouerat:

Creſcite virtutes, foecundaque floreat aetas!
Ingeniis pateat campus, certusque merenti
Stet fauor. Ornetur propriis induſtria donis.
Surgite ſopitae, quas obruit ambitus artes.

26) MENTETVS KETTWIG. Parte I. in fine.

Digitized by Google